

tanquam parte officii sacerdotalis, differens, inter plura alia egregia hæc habet: Solet in plerisque Ecclesiis Evangelicis Pastor certam habere Formulam, a Superiore præscriptam; sed habet consuetudo multa incommoda. 1. Certum est, (& si quis negat, ipsius Conscientiæ hoc committo,) certum, inquam, est, formulas Orationum tandem pro consuetudine recitari sine attentione sineque mentis elevatione; hoc facit consuetudo, quæ tandem fastidium conciliat, ideoque tales consuetæ formulæ pro consuetudine pronunciantur ex opere operato. Quilibet hoc experietur. 2. Mutatis temporibus etiam oratio ecclesiastica mutanda, v. g. quando Deus bello aliquo contemptum sui vindicat, quando luem pestiferam immittit, quando tempestatibus segetes corrumpit, aliter preces nos formare oportet, quam cum omnia ex voto procedunt. E contrario, quando Deus bella sedat, quando Morbonam abigit & leta seges est, aliter oratio formanda est, ut ex Psalmis Davidis intelligimus. Dum hæc scribo, Divina Maiestas ingrato Orbi & Imperio Romano hoc Anno 1666. quintuplex beneficium contulit. - - Grati- tudinem certe nostram etiam in publicis precibus nos contestari oportebat pro tot beneficiorum confluxu in corruptam & ingratham Ecclesiam suam collata. Sed a paucis Ecclesiæ Ministris hæc attenduntur, qui Pacis & Belli tempore eidem Formulæ insistent & ita dicti illius Apostolici, inserviendum esse tempori, penitus ob-  
livis-